



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *INSULARUM BERMUDARUM*
(HAMILTONENSIS)* VICARIATUS APOSTOLICUS INSULARUM BERMUDARUM

IN DIOECESIUM ORDINEM REDIGITUR, NOMINE IMMUTATO,

QUOD ERIT «HAMILTONENSIS». Sanctissimae Christi religioni et feliciter cessisse, et in Insulis Bermudis feliciter cedere, iam est hoc et magnae causa laetitiae, et nome spei proferendae fidei nostrae fons et origo; laetitiae, quidem, quia nihil tam carum, tam dulce, tam sanctum est Nobis, qui ecclesiae procuracionem omnem habemus, quam cognoscere de Christi imperii fortunis; spei, quia, si multa cura operaque in Evangelio praedicando posita, commoda tanta Ecclesiae sanctae comparavit, iam causam esse confidimus ob quam fiat ut sparsum semen grandescat et in patulam arborem crescat (cf. *Mt.* 13, 31). Quam ob rem, cum sacro Consilio Christiano Nomini Propagando visum sit vicariatum apostolicum Insularum Bermudarum ad gradum dioecesis evehere, Nos, re bene reputata, consilium Sacrae Congregationis sequendum esse arbitantes, haec, quae sequuntur, decernimus. Vicariatum apostolicum Insularum Bermudarum in dioecesibus annumeramus, nomine *Hamiltonensi in Bermuda*; cuius erit sedes in urbe principe eius regionis, quam vulgo Hamilton cognominant; cathedra episcopalis in templo S. Theresiae, ibidem exstante, factis nempe iuribus iustis. Nova autem dioecesis perget Sacrae Congregationi Fidei Propagandae esse obnoxia. Canoniorum collegium condatur; quod si id impossibile sit, Consultores dioecesani deligantur, qui Episcopo suo fideliter assint consilio et auxilio. Operam etiam det sacer Praesul ut Seminarium construat pueris excipiendis, quos Spiritus Sanctus ad Sacerdotium vocaverit; sunt enim bonae spei semina, summa diligentia atque cura fovenda. Cetera, quae regimen Ecclesiae, clerum populumque respiciant, electionem Vicarii Capitularis, Sede vacante, similia, haec omnia lege canonica regantur. Quae per has Litteras Nostras iussimus, venerabilis Frater Hyginus Cardinale, Archiepiscopus titulo Neptensis et in Magna Britannia Apostolicus Delegatus ad exitum adducat, vel quem ille legaverit. Re autem acta, documenta exarentur, quae sinceris exemplis ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae cito mittantur. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti

simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die duodecimo mensis iunii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri quarto.*

<p style="text-align: center;"><i>Pro S. R. E. Cancellarius</i></p> <p>HAMLETUS I. Card. CICOGNANI <i>a publicis Ecclesiae negotiis</i></p>	<p>GREGORIUS Card. AGAGIANIAN <i>S. Congr. de Prop. Fide Praefectus</i></p>
---	---

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Protonot. Apost.*

Ioannes Calleri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 17, pp. 1113-1114 © Copyright 1967 - Libreria Editrice Vaticana